



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

12. Dominica I. Quadragesimæ, de tentatione Christi. Matt. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

Inno-
centi:
Luc. 4.

DOMINICA I. QUADRAGES.

De tentatione Christi, Matth. 4.

1. **P**OST baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies 40. & totidem noctes ieiunavit. Considera primò, quod post testimonium de cœlo acceptum in baptismo, quod esset filius Dei, nihilominus quasi pœnitentiæ agendæ causa in locum desertum & horridum secedat, vbi sine cibo, lecto, & recto in silentio inter bestias, vt ait Marcus, viuens pro tua salute se afflixit: vt discas eum, qui incipit Deo seruire, debere carnem suam crucifigere cum concupiscentiis. 2. ô anima mea agnosce te esse vnâ ex bestiis istis. agnosce, quoties indomito passionum tuarum impetu patientiam Christi læsaris, abiice te ad pedes solitarij Iesu, deplora, scelera tua, & osculatis eius pedibus mansuetum eius vultum aspice, si forte te respiciat.

2. **T**er ab inimico tentatus est. (Accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Hac omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.) Considera extremam humilitatem Christi, quod non tantum passus sit se crebrius à damo-

ne ten-

DOMINIC. TOTIVS ANNI. 29

ne tentari (vt discas, licet sanctus sis, te nõ fore à tentatione liberum) sed etiam permiserit se à dæmone assumi, primò in pinaculum templi, tum in montem excelsum, quod non videtur contingere nisi sceleris hominibus, vt magis, sagis, &c. Deinde quod passus sit se tentari turpissima tentatione, vt scilicet adoraret dæmonem.

(Angeli accesserunt, & ministrabant ei.) 3.

Considera Christum post tentationem fame debilitatũ iacere in terra nuda, & vultu pallidum, accedere mox plurimos angelos, & ex compassione eum è terra leuare, congratulari ei de victo dæmone, parare magno studio mensam, vt comedat. cogita te videre Christum superfaxo aliquo edentem circumstantibus angelis; tibiq; ministerium angelorum affuturum, si libenter ieiunio, & aliis pœnis corpus castigaris, & tentationes mundi, carnis, dæmonisq; viceris.

DOMIN. II. QVADRAGES.

Remi-
niscere

De Cananæa filia. Matt. 15.

CANANÆA Tyro & Sidone egressa petit
filiam à dæmone sanari. Sed Christus ei. x
nihil